

Patrocinii, Translat. almae domus Laurentanae et Expectationis part. a S. M. Bened. XIII. die 23. Aug. 1725 pro toto statu Ecclesiastico concessa, sub ritu dupl. maj. recitari debent. n. 4054 ad 2 die 15. Sept. 1736.

### c) De Mercede.

Innocentius PP. XI. Hispaniarum regnis concessit festum B. V. M. de mercede celebrari dominica proximiori Calendis Augusti, in qua nonnullis annis occurrit dies octavus s. Jacobi ap., Hisp. Patroni. Quid faciendum illis annis? S. C. resp.: Celebretur festum B. V. M. in alia Dominica non impedita. n. 3038 ad 2 die 2. Octob. 1683.

Quando aliqua ex Officiis concessa sunt recitanda in dieb. domin., v. g. de Mercede, SS. Rosario etc. B. V. M. et si quae sunt alia similia, si aliqua ex dictis dominicis impediatur aliquando ab alio Officio majoris ritus, dignitatis, in tali casu dictum Off. ex supra concessis, non potest transferri ad aliam dominicam vel ad primam diem non impedit., sed debet omitti. S. R. C. 20. Mart. 1683.

#### *In una Ord. Min. Obs.*

Quando festum B. V. M. de Mercede, quae in Dominica decernitur celebranda, impeditur aliquo festo dupl. 1. vel 2. cl. vel dupl. maj. vel de Octava, eo anno omittendum est vel recurrendum pro assignatione alterius dominicae ad S. R. C. n. 3040 ad 4 die 20. Novb. 1683; n. 3120 ad 5 die 20. Julii 1686.

*Ad dubium:* Utrum per extensionem ad universam Ecclesiam Officii dupl. de praecepto B. M. V. de Mercede, cui assignata est dies 24. Sept., derogatum sit Indultum ap. celebrandi festum praedictum dominica proximiori Calendis Augusti in Regnis seu dominiis Regis Catholici? S. C. resp.: *Affir-*

*mative* et se conformet Episcopus Lauden. Ecclesiae universali. 3412 ad 2 die 19. Jan. 1697.

*Ad dubium:* Quoties in Calendario Senensi dies octava 7 Dolorum B. M. V. incidit die 24. Sept., in qua occurrit sub ritu dupl. maj. Festum B. M. V. de Mercede, vel die 22. ejusdem mensis, in qua Civitate Senensi Festum Patrocinii Deiparae sub pari ritu dupl. maj. agitur, quaeritur: num recitari debeat de Octava vel de alterutro ex enunciatis Deiparae Festis?

Et S. eadem C. . . rescribendum censuit:

„In casu de Officio occurrenti et nihil amplius de Octava“.

Atque ita rescripsit, declaravit servandumque mandavit. n. 5135 ad 2 die 22. Julii 1848.

*Ad dubium:* Orta est difficultas circa translationem Festi B. M. V. de Mercede illis in locis, ubi Patronus Principalis est S. Lambertus Ep. et Martyr, cujus Festum celebratur die 17. Sept., et cujus proinde dies octava semper incidit in diem 24. ejusdem mensis, qua occurrit praefatum B. M. V. Festum. Porro in illis locis dies fixa pro Festo B. M. de Mercede erat 15. Septembris, antequam per Indultum diei 20. Julii 1838 Officia quaedam propria essent concessa a Clero Archidioecesis Mechliniensis. Nunc vero pro tota illa Dioecesi in illam diem tanquam in sedem propriam perpetuo translatus est Festum S. Thomae a Villanova, et dies 27. Sept. pariter est impedita, utpote fixe assignatur Festo impressionis Stigmatum s. Francisci. Quaeritur itaque: utrum in locis ubi die 24. Sept. Officium fieri debet de Octava S. Lamberti Patroni Principalis. Festum B. M. V. de Mercede sit celebrandum die 25. Sept. vel transferendum in primam diem, quae nullo Festo fixo sit impedita per Dioecesim; adeoque in diem 3. mensis

Octobris. Et Sanctitas Sua, referente subscripto S. R. C. Pro-Secretario mandavit ut propositis Dubiis responderetur juxta alias decreta, hinc:

„Affirmative ad primam partem, negative ad secundam“.

Atque ita rescriptum fuit. n. 5191. die 23. Junii 1835.

### d) De Monte Carmelo.

#### I. Obligatio et Missa.

Cf.: *Missa de Carmelo.*

*Ad dubium Benedictin. Einsidl.:* An Festum B. V. M. de Monte Carmelo ejusdemque festum (Officium) celebrandum sit ab omnibus (etiam Regul.) de praecepto? S. C. resp.: Affirmative et servetur decr. 24. Sept. 1746. n. 4044 (2do.) ad 17 die 23. Julii 1736.

Benedictus XIII. benigne concessit, ut in toto Statu ecclesiast. ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, die 16. Julii festum B. V. M. de Monte Carm. cum Off. et Missa celebrari debeat. S. R. C. 23. Aug. 1725; 24. Sept. 1726.

Cum SSmus. Dom. noster Clemens Papa X. die 4. Decb. 1675 benigne concesserit, ut in omnibus Terris Romano Imperatori subjectis Festum B. M. V. de Monte Carmelo celebrari possit singulis annis die 16. Julii, seu alio die infra octavam sub ritu dupl. secundae classis cum Officio et Missa propria, sed diversa ab illo Officio et Missa, quibus ex ejusdem Summi Pontificis concessione utuntur subditi Regis Hispaniarum; propterea quaeritur primo: Quando dies 16. Julii non impeditur alio Festo novem Lectionum: Utrum praedictum Festum a subditis Imperatoris debeat necessario celebrari die 16. Julii? vel: An pro libito possit celebrari quocumque alio die infra octavam, sive iste dies

per aliud Festum novem Lectionum sit impeditus, sive non? Quaeritur secundo: Utrum Imperatoris subditi debeant uti Officio et Missa, quae concessa fuerunt pro Imperio; vel, an etiam possint uti Officio et Missis concessis pro Hispania?

Et eadem S. R. C., referente Emo. et Rmo. D. Card. Gabrielli respondendum censuit:

„Ad primum quaesitum, quoad primam partem Affirmative; quoad secundam partem Negative; Ad secundum quaesitum quoad primam partem pariter Affirmative, quoad secundam partem Negative“. Et ita declaravit ac servari mandavit. n. 3787 ad 4 die 16. Junii 1708.

*Ad dubium Benedict. Einsidl.:* An in festo B. M. V. de Monte Carmelo non tantum Evangel. sed etiam tota missa (exceptis 3 orationibus) sit de festo s. Mariae ad Nives post concessionem hujus Officii factam a S. M. Bened. PP. XIII.? S. C. resp.: Dicatur missa a Sede apost. approbata: *Gaudemus omnes etc.* n. 4044 (*Alia dub.*) dub. 5 die 5. Maji 1736.

#### II. Translatio.

Officium B. V. M. de Monte Carmelo non potest, ut in pluribus locis fit, transferri in dominicam sequ. diem 16. Julii. n. 3477 ad 1 die 5. Julii 1698.

### e) De Pace.

(*Translatio.*)

*Ad dubium:* 1. An Festo B. M. V. de Pace perpetuo impedito in Dominica IV. Octobris ob occursum Festi Anniversarii, vel diei Octavae Dedicacionis Ecclesiae possit Ordinarius assignare aliam diem non impeditam?

2. An, quatenus affirmative ad primum, possit assignari Dominicae vel IV. Sept., vel III. Novembris?

3. Et quatenus Dominicae IV. Sept. et III. Nov. sint impeditae, illa a translato Officio Septem Dolorum, ista ab Officio Patrocini Deiparae, quid agendum de Festo B. M. V. de Pace?

4. An quod statuitur de Festo Deiparae de Pace applicari pariter possit Festo Puritatis Deiparae, quamvis hoc strictè dici nequeat perpetuo impeditum ab Anniversario memoratae Dedicationis?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

Ad 1. „Negative, haec enim Officia assignata sunt certis diebus, quae tamen non sunt dies propriae, de quibus Decretum alias editum“.

Ad 2. „Provisum in primo, et in casu supplicandum pro translatione ad primam diem liberam“.

Ad 3. „Juxta Decreta omittendum, nisi facta fuerit facultas transferendi juxta Rubricas“.

Ad 4. „Affirmative, seu provisum in superioribus“.

Atque ita rescripsit. n. 5182 die 25. Sept. 1852.

#### f) Divini Pastoris Matris.

Vd.: *Maternitas B. V. M.*

*Ad dubium:* Dominica I. mense Maji, dummodo non occurrat aliud Officium potioris ritus et dignitatis, assignata est Officio B. M. V. divini pastoris Matris. Si haec dominica fuerit impedita, poterit hoc Officium amandari ad alterutram ex sequ. dominicis ejusd. mensis vel omnibus impeditis dominicis ad diem feriale? S. C. resp.: Transferri potest, si in Indulto facta sit facultas et quidem designata die; alias eo anno omittendum. n. 4859 ad 1 die 3. Aug. 1839.

#### SANCTI MINIATI.

Quarto Idus Jan. 1801 sa. me. Pius Papa VII. pro Clero Saeculari

et Regulari Magni Ducatus Etruriae peculiare quum adprobaverit Officium in honorem Beatae Mariae Virginis titulo Divini Pastoris Matris ritu duplicis majoris quotannis persolven. Dominica prima Mensis Maji non impedita Officio superioris ritus aut dignitatis; quumque eodem anno 1801 Senis idem Officium typis fuerit csum, in calce hujus editionis monita nonnulla reperiuntur, in quibus inter cetera et illud invenitur, quod si prima Dominica Mensis Maji fuerit impedita, Officium hujusmodi transferri debeat ad secundam vel tertiam non impeditam. Quod si omnes Dominicas Mensis Maji aliquando impeditas inveniri occurrat, tunc a prima Dominica Maji transferendum erit ad primam diem liberam juxta Rubricas, et in hoc postremo casu octava Lectio dimidietur. Sanctionis hujusmodi regulam a Sacra Rituum Congregatione autumant die 25. Julii ejusdem anni 1801 super hoc Officio requisita datam fuisse. Attamen hac super declaratione dubitari inceptum est, an fuerit authentica, praesertim in Dioecesi Sancti Miniati, proindeque Canonicus Pro-Poenitentiarius, Sede illa Episcopali vacante, Sacrorum Rituum Congregationem supplex adivit ac declarari expetiit:

1. An supradicta declaratio Sacrorum Rituum Congregationis diei 25. Julii 1801 habenda sit ut authentica et pro Sanctis Etruriae Dioecesibus obligatoria? Et quatenus negative,

2. An in Dioecesi Sancti Miniati, quae ab anno 1818 inclusive usque ad annum 1832 (quo ultimus Episcopus obiit) bona fide exemplum secundo aliarum Etruriae Dioecesium, se conformavit regulae in praefata declaratione contentae, quoad translationem Festi Beatae Mariae Virginis Divini Pastoris Matris, eadem regula in posterum servari debeat?

Et Eminentissimi et Reverendissimi Patres Sacris Ritibus praepositi in Ordinariis Comitibus ad Vaticanum hodierna die habitis coadunati, re mature perpensa diligentique examini subjecta, audita fidei relatione ab infrascripto Secretario facta, rescribendum censuerunt:

Ad 1. „Non reperitur in Registis Secretariae Congregationis Sacrorum Rituum“.

Ad 2. „Dentur Decreta in Cusentina diei 10. Julii 1677, in Lycien. diei 25. Septembris 1688 et in una Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Provinciae Poloniae diei 29. Januarii 1752 in quibus generaliter praescribitur, quod Officia affixa certis diebus eo anno impeditis sint omittenda“.

Atque ita rescripserunt ac in proposito casu servari mandarunt. die 23. Maji 1835 n. 4745.

#### g) Cujus ritus sunt festa B.V.M.

Quaedam festivitates B. V. M. utpote: de Mercede, Desponsat. aliaque Hispaniarum regnis concessae, celebrari praecipuntur sub ritu dupl., sed non exprimitur, quod celebrentur sub ritu dupl. maj., quemadmodum exprimitur in aliis festis B. V. M. nempe: in festis Rosarii, Patroc., et de Carmelo eisdem regnis concessis. Quae-ritur: utrum omnes festivit. B. V. M. sint sub ritu dupl. maj., quamvis haec majoritas in decreto concessionis talis festi non exprimat?

S. C. resp.: Celebrentur sub ritu dupl. minori. die 2. Oct. 1683. *In Valentina* ad 3.

*Ad dubium:* An Officia Despons. etc. B. V. M. per indulta apost. in omnibus regnis et ditionibus cath. Regi subjectis sub ritu dupl. fieri posse concessa intelligenda veniant sub ritu dupl. maj. vel tantum dupl. per annum? S. C. resp.: Quando non ex-

plicatur qualitas ritus, an sit dupl. maj. vel min., decreta intelligenda esse de dupl. per annum. die 20. Novemb. 1683 *in Laud.*

Vd.: *Festum B. V. M.* (dignitas).

#### 17) Mobile.

Vd.: *Patron. princip.* (estne fest. mobile?)

#### 18) SS. Nominis Jesu.

##### a) Obligat. celebrandi.

Officium propr. SS. Nominis Jesu ab omnibus Christifidelibus, qui ad horas canonicas tenentur, sub ritu dupl. 2. cl. Dominica 2. p. Epiph. recitari et Missam respective celebrari debere indulsit S. R. C. 29. Novemb. 1721 annuente Innocent. XIII. 20. Decb. 1721.

Vd.: *Fest. SS. Nom. Jesu* (Transl. decr. n. 3953). *De Approbatione Confraternitatis sub invocatione SS. Nominis Dei (Jesu) ad cavandum blasphemias, perjuriam illicitaque juramenta institutae cum indulgentiarum et aliarum gratiarum concessionem facta per PP. Pium IV. die 13. Apr. 1564* vd.: Bull. mag. rom. tom. II. p. 117 (ed. Luxemb.)

##### b) Translatio.

(*Festum ss. Nom. Jesu non celebr. in Quadrag.*, vd.: S. Meinradus (decr. n. 4043 die 5. Maji 1736). Vd.: S. Raymundus.

Cum in Hispania ex apostolica concessionem celebretur festum s. Juliani ep. Conchensis ritu dupl. 2. cl. cum octava in die 28. Januarii et juxta rubricas Breviarii in eandem diem transferendum sit tamquam in sedem propriam Officium SS. Nominis Jesu, quoties occurrit in dominica Septuagesimae, quaeritur: utrum ex dictis festis celebrandum sit die 28. Jan. et quomodo alterum transferendum? S. C. resp.: Celebrandum esse Officium

s. Juliani et Officium SS. Nominis Jesu reponendum esse ab Episcopo in aliam diem infra eandem octavam, translato quocunque alio festo, nisi sit altioris ritus. n. 4442 ad 1 die 11. Sept. 1790.

Vd. infra decr. n. 4581.

In Collegiata civitatis Nissae celebratur festum s. Agnetis v. et m. cum octava sub ritu dupl. I. cl. quotannis, proinde dubitatur: 1. an, quando festum ss. Nominis Jesu ob dom. Septuagesimae ad 28. Jan. transferendum est, transferri possit una cum Com. Orationis octavae diei s. Agnetis, vel transferendum sit ad 3. Febr.? S. C. resp.: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. n. 4445 ad 1 die 11. Sept. 1790.

Monialibus SS. Corporis Christi Civitatis Bononiae S. R. C. humillime supplicantibus, ut benigne declarare dignarentur: An ipsis liceat in posterum die 14. Januarii Officium SS. Nominis Jesu, sicut antea, juxta concessionem Fratibus Ordinis Minorum, alias factam, recitare; an vero teneantur illud Dominica II. post Epiphaniam, uti noviter pro Ecclesia universali indultum fuit, celebrare?

S. eadem C. respondit: „Nec Monialibus praedictis nec Fratibus Minoribus aliarumque Religionum, licere amplius memoratum Officium SS. Nominis Jesu die 14. Januarii, sed Dominica II. post Epiphaniam recitare omnesque teneri, sub poenis de non satisfaciendo Officio Divino aliisque in Bulla S. Pii V. contentis, novissimo Decreto die 29. Novembris 1721 pro universali Ecclesia se conformare“.

Et ita decrevit ac servari mandavit. n. 3953 die 28. Novembris 1722.

*Ad dubium:* An liceat Collegio et PP. Societatis Jesu civitatis Monopolis celebrare festum ss. Nom. Jesu in die Circumcisionis D. N. J. Chr.? S. C. resp.: Licere PP. Jesuitis celebrare 1.

die Januarii festum ss. Nom. Jesu et amplius. n. 3958 die 13. Mart. 1723.

Quando festum ss. Nom. Jesu ab occurrente dominica Septuag. impeditur, transferendum est ad diem 28. Januar. tanquam illi propriam, ne festum praedictum celebretur infra quadragesim. (et officium s. Raymundi transfertur in aliam diem non impeditam — in Dioecesi Aquen. —) n. 4299 ad 1 die 3. Mart. 1761.

In aliqua Dioecesi Officium S. Juliani Episc. sub ritu semid. ad libitum fixe celebratur in die sui obitus, nempe 28. Jan. Quaeritur: an fixe pariter eadem die reponi possit aliud Officium translatum, an sit vacuus relinquendus?

Et Emi. P. . . . respondendum censuerunt, ut infra, nimirum:

„Translata reponi non posse diebus fixis pro Officio alicujus Festi ad libitum, praesertim die 28. Jan., quae dies relinquenda est vacua pro repositione SSmi. Nominis Jesu in Dominica Septuagesimae occurrentis; et in Dioecesi, in qua die 28. Jan. celebratur fixe Festum S. Juliani Episc. ad libitum, omitti debere, quando ea die reponendum sit Officium SSmi. Nominis Jesu“.

Atque ita responderunt die 31. Mart. 1821. n. 4581 ad 7.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRETUM:

Tam clare et solide quaestiones, quae super hoc Dubio excitari poterant, enucleavit cl. Vir *Joannes Canonicus Fornici* Apostolicarum caeremoniarum Magister in suo dissertissimo Voto a S. C. adprobato, ut satius esse duxerim illud integrum dare, quam in compendium redigere. Sic ipse „Festa Sanctorum ad libitum, teste Guyeto *lib. 1. cap. 2. quaest. 9.* et Cavalieri *tom. 2. cap. 22.*, antiquiora non sunt *Paulo V.*, qui primus

omnium eadem in Ecclesiam invenil, dum sub die 27. Sept. 1608 Festum S. Angeli Custodis ad libitum Cleri celebrandum indulsit prima die post Festum S. Michaelis Arch., quod et postea praestitit de Festo S. Caroli Borromaei et impressionis stigmatum in Corpore S. Francisci pro suis respectivis diebus, et deinde id alii egere Summi Pontifices de aliorum Sanctorum Festis. De Sanctis ad libitum nihil quidem disponunt expresse et statuunt Rubricae; sed non desunt hujus S. C. Decreta plurima, ex quibus abunde eorumdem elucescit natura atque conditio et ex quibus dirimi debent dubia, quae hinc exoriri valent“.

Pro expositi Dubii resolutione duo, ut mihi videtur, sunt ad examen revocanda. Primum, an translata reponi possint in die fixo pro Sancto ad libitum: Secundum: an dies 28. Jan. sit vacuus relinquendus pro translatis? Exordiamur a primo et responsum deducamus a resolutionibus hujus S. C. Cum alias S. R. C. declaraverit Officia Sanctorum ad libitum non esse transferenda, quando dies eorum festivitatum sint impediti die Dominico aut aliquo die Festorum mobilium, quaesitum fuit declarari: quae regula servanda sit, quando occurrunt eodem die cum Officiis Sanctorum propriis vel translatis vel demum semel per hebdomadam vel per mensem recitare concessis? En responsum per decretum generale de non transferendis Officiis Sanctorum ad libitum datum 24. Jan. 1682: *Praedicta Officia Sanctorum ad libitum etiam duplicia occurrentia in diebus Dominicis, octavis et natalitiis Sanctorum alicujus Religionis vel Dioecesis ex vi Calendarii proprii a S. Sede Apostolica approbati, quamvis sub ritu semid. de praeepto celebranda, non sunt transferenda, sed omitti debere: si*

*autem occurrant eodem die, in quo aliud aliquod Festum translatum poni deberet, tunc liberum fore declaravit, eadem Officia ad libitum recitare et Officium translatum ulterius ad aliam diem non impeditam transferre. Prout etiam, omisso Officio, quod semel per hebdomadam aut per mensem ex Apostolico indulto recitare concessum est, Officium ad libitum eodem die occurrens recitari posse decrevit, et ita ab omnibus, qui ad Horas Canonicas tenentur, servari mandavit.* Tria in hoc Decreto decernuntur: Officia ad libitum non esse transferenda; liberum esse illa recitare, quamvis in eodem die alias reponi deberent Officia translata; omisso Officio vel per hebdomadam vel per mensem concesso, posse Officia ad libitum recitari. Primum et ultimum casum propositum non respiciunt; secundum quaestionis nobis solutionem praebet. Liberum est Officia ad libitum celebrare eo die occurrentia, quo alias Festum translatum reponi deberet. Atque Festum translatum in die, quo reponitur, praeeptive celebrandum est ab omnibus, qui Calendarium sequuntur: ergo ex translato tollitur libertas Officium ad libitum recitandi, quod contrarium est Decreto hujus C. Per hanc libertatem nullum translato obvenit incommodum, quippe quod jam e propria die amotum, adhuc in altera die bene et integre resumitur. Per repositionem translatis in die Officii ad libitum non solum eidem affertur incommodum, sed prorsus eo anno de medio tollitur, quia omitti debet, nec potest ex ipso Decreto transferri. Nec juvat aliud argumentum in oppositionem adducere: nempe ex Rubrica: Festa translata reponi debent in prima die non impedita; sed dies, quo Festum ad libitum occurrit non est impedita, quia illud non praestat impedimentum, quod pendet a libero arbitrio, argument.

leg. *Qui potest facere 3. de Regulis juris.* Ergo translatum reponi debet in die, in quo Officium ad libitum occurrit. Huic enim argumento respondendi potest cum Cavalieri: Festum ad libitum non praestat impedimentum prohibens, ne Festum translatum eo die reponatur, bene vero praestat impedimentum permittens, ut in dictam diem non transferatur. Nihil ergo ex dicto axiomate erui potest<sup>4</sup>.

Video equidem Decretum supponere, quod aliqua reperiat dies libera, pro translato repositione, et *Officium translatum ulterius ad aliam diem transferri.* Unde, si nulla adsit anni dies, in quem transferri queat, praesupponi potest, quod amplius locum non habeat Decreti dispositio, quae liberam facit celebrationem Festi ad libitum cum ulteriori protractione Festi translati. Et quidem, si Officium ad libitum penitus omitti debet, ut Officium de praecepto simul occurrens, quod caeteroquin adhuc alia die integre resumeretur, solum habeat incommodum amotionis a propria sede; multo magis omitti debet, si Festum translatum nullum reperiat diem utilem pro sui repositione, sed alias necesse foret, idem ad simplicem redigi commemorationem, vel penitus omitti<sup>5</sup>.

„Verum, quamvis haec congruentiora videantur, ex lege tamen non veniunt. Potius in lege saepe saepius statutum est: *Quod Sancti, qui in fine anni supersunt, quoties toto anni decursu de illis celebrare non valeat, tum in illo anno diebus eorum propriis considerandi sint tamquam simplices, faciendo illorum commemorationem, ut fit in semid. cum nona lectione ad Matutinum composita ex omnibus eorum lectionibus secundi Nocturni ad modum unius.* Hispalen. 26. Nov. 1735; *Ordinis Capuccinorum 8. Mart. 1738.* Sancti ergo translati, quatenus pro illorum repositione non

supersint dies toto anni decursu, considerandi sunt diebus eorum propriis tamquam simplices, nec jus habent removendi a propria sede semiduplicitia et Officia ad libitum, nisi obtento prius ab hac S. C. speciali et expresso Indultu, jam alias ob plenissimam redundantiam Sanctorum *die 31. Jan. 1789.* Basilica S. Petri in Vaticano concessio, *et die 13. Mart. 1804 ad Ecclesiam Corduben. aliisque Patriarchalibus extenso, nempe: ut Festa dupl., quae incidunt in Dominicas privilegiatas vel in aliam diem solemniori Festo impeditam, si desint prope anni terminum dies simplices aut feriales, in quos transferri possent, tunc transferantur, in diem Festi semid., ita tamen, ut de Sancto qui locum cedit, fiat commemoratio in Missa, Laudibus et utrisque Vesperis cum nona lectione historica.*

„Ex dictis eidentissime patet, non posse, nisi ex speciali Indultu, reponi fixe translatum in die, quo occurrit Officium vel dupl., vel semid. ad libitum. Multo magis nequit hoc fieri *die 28. Jan.,* quo in aliqua Dioecesi fixe, utpote in die sui obitus, celebratur Festum *S. Juliani Ep.* Prohibitum enim est per Decretum S. R. C. assignari stabiliter huic diei Festum *primarium S. Agnetis.* in casu, quo alicubi *21. Jan.* non potuerit stabiliter celebrari ex eo, quia *haec dies 28.* relinquenda sit vacua, ut in ea reponi valeat Festum *SSmi. Nominis Jesu,* quando transferri debet ob concurrentiam *Dominicae Septuagesimae.* Supplicata enim pro resolutione et declaratione, circa varia Dubia ad Breviarium Benedictinum spectantia, quaesitum fuit ad *tit. 10 de translatione Festorum dub. 1: An die 21. Jan., quia occurrit in multis locis Festum S. Meinradi M. cum Festo S. Agnetis V. et M., sit celebrandum Officium de S. Meinrado, Officio S. Agnetis stabiliter et fixe*

*translato ad diem 28. Januarii?* S. C. respondit: *Faciendum est Officium de S. Meinrado, et transferendum est Officium S. Agnetis, quod occurrit eodem die, cui assignari debet aliqua dies fixa, quae tamen non sit dies 28. Jan., ne Festum SS. Nominis Jesu, quod celebratur Dominica II. post Epiphaniam, aliquando occurrens in eadem Dominica, quae est Septuagesima, ideoque, ne illud Festum celebretur intra Quadragesimam, quod non conveniret, erit relinquenda vacua dies 28. Jan., in qua id tunc erit transferendum. Quando autem agetur Festum S. Agnetis secundo, fiat de eo commemoratio tamquam de simplici, nullo habito respectu, quod Festum ejusdem solempne prius non fuerit celebratum. Einsidlen 5. Maji 1736\*)* Et quot in hoc Decreto dicitur de Festo *S. Agnetis,* eadem de causa dicendum venit de quolibet alio Festo constanter translato, quod alicubi occurrere possit, quod propterea nequaquam assignandum erit huic diei *28. Jan.,* sed in ulteriorem diem protrahendum, ut in *Versavien de S. Raymundo de Pennafort* ob concurrentiam fixam *Desponsationis B. M. V.* declaravit S. C. *die 7. Maji 1746,* quia non minus illud, ac Festum *S. Agnetis* et *S. Raymundi* in casu praedicto afferet impedimentum positioni Festi *SSmi. Nominis Jesu* in hac die<sup>6</sup>.

„Dici fortasse potest, quod in Dioecesi, in qua fixe celebratur Festum ad libitum *S. Juliani Ep.* die sui obitus, nempe *28. Jan.,* eadem dies non sit vacua. Quid inde? Festum *SSmi. Nominis Jesu* occurrens in *Dominica Septuagesimae* donatur privilegio accidentariae mutationis, qua mutatione si donatur aliquod Festum, habet pri-

vilegium excludendi Festum occurrens in illa die, in quam accidentaliter immutatur seu transfertur tamquam in sedem propriam, nisi occurrat Festum altioris ritus seu dignitatis, ut docent Liturgici omnes. Unde, quamvis in aliqua Dioecesi fixe celebretur Festum alicujus Sancti ad libitum *28. Jan.,* semper vacua consideranda est pro repositioni festi *ss. Nominis Jesu,* quia ex allato decreto gen. in casu omitti deberet.

Cum Officio *ss. Nominis Jesu* aliquando translato occurrente *Dominica Septuag.* assignata sit dies *28. Jan.,* ne celebretur in *Quadrages.* occurrente Officio in proprio loco ritus dupl., debet illud transferri cedendo Officio *ss. Nominis Jesu* ob uniformitatem cum universali Ecclesia. n. 4361 ad 8 die *27. Mart. 1773.*

*Ad dubium:* Quando Festum *SSmi. Nom. Jesu* occurrit in *Dom. Septuag.* transfertur in diem *XXVIII. Jan.* tamquam in sedem propriam juxta Decreta *S. R. C.,* ne celebretur in *Quadragesima.* Quaeritur: an idem locum habeat quando praefatum Festum die sua propria celebrari nequit ob aliud impedimentum v. g. ob occursum Festi Patroni principalis alicujus loci aut Ecclesiae vel an tunc Festum *SSmi. Nom. Jesu* celebrari debeat prima die non impedita, si praeter *XXVIII. Jan.* (quando celebratur in Belgio Festum *S. Juliani Ep.* et Conf. semiduplex ad libitum) alia dies libera occurrat ante *Quadragesimam* v. g. *III. Febr.,* qua occurrit Festum simplex *S. Blasii?*

Et *Emus. ac Rmus. D. Card. Carolus Maria Pellicini Ep. Portuen. . .* rescribi mandavit:

„Juxta Rubricarum placitum solum quando praepeditur ob *Septuagesimae* occursum, alias in primam diem non impeditam<sup>7</sup>.

Atque ita rescribi ac servari mandavit. n. 4921 ad 3 die *22. Maji 1841.*

\*) Vd.: *S. Meinradus* (decr. n. 4043 die 5. Maji 1736.)

Tutto l'Ordine de' Minori Osservanti e Riformati celebra la Festa del Santissimo Nome di Gesù li 14. Gennaro. Ma in Ascoli della Puglia essendo questo di impedito dalla Festa di S. Potito Martire Titolare della Chiesa di quel Convento, et della Cattedrale, e Patrono di quella Città e Diocesi. la Festa del Santissimo Nome di Gesù nel suddetto Direttorio dell'anno 1796. vedesi fissato li 14. Febbraio con questa Parentesi (*hic in perpetuum ex 14. Januarii ex S. R. C. Decreto*) Non sembrando però autentico siffato Decreto, perchè sarebbe opposto a varii altri, che proibiscono di celebrare la suddetta Festa in quaeresima, il che avverrebbe spesso se si celebrasse li 14. Febraro; perciò si cerca se i Padri Minori Osservanti Riformati di Ascoli possono celebrarla la seconda Domenica dopo l'Epifania come la Chiesa universale, benchè la loro Rubrica peculiare n. 112 proibisca assegnare agli Officii traslati le Ferie, e Domeniche, ossia a giorni mobili? Ed in caso di affermativa, si cerca inoltre, se quando la Domenica seconda dopo l'Epifania è impedita dalla Settuagesima, possano trasferire il Santissimo Nome di Gesù al di 28. Gennaro, benchè impedito da un doppio minore, giusta i varii Decreti di cotesta Sacra Congregazione, e se quando oltre la seconda Domenica dopo l'Epifania è anche impedito il di 28. Gennaro, come avverrà nel 1866, possano trasferirlo al di 20. dello stesso Mese, benchè e gualmente impedito da un doppio minore?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„In casu de quo agitur, servetur Decretum diei 5. Maji 1736 in Einsid. ad 1.: Et quando dies 28. Jan. incidit in privilegiatam Dom. fiat de SSmo. Nomine Jesu die sequenti.

Atque ita rescripsit ac servari man-

davit. n. 5032 ad 2 die 6. Septemb. 1845.

### 19) Nominis B. V. M.

#### a) Dies.

Cf.: *Comment. B. V. M.; Exalt. s. Crucis.*

Supplicantibus Carmelitis Congregat. Hispan. ut etiam ad tempus quadregesimale pro die non impedita festo 9 ll. extendatur Officium votivum s. Nominis B. V. M., quod quater in anno possunt recitare ritu duplici, cum in toto anno non remaneant dies vacui, in quibus recitetur nisi in tempore Quadrag., S. C. resp.: *Negative* n. 4401 ad 15 die 16. Febr. 1781.

Festum Nom. B. V. M. celebrari dominica infra oct. Nativ. B. V. sub ritu dupl. maj. quotannis in eccles. universali ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam Saecul. quam Regul., qui ad horas canonicas tenentur. S. R. C. 20. Novb. 1683. Approb. Innocent. XI. 25. Novb. 1683. Sub 5. Febr. 1684 S. R. C. approb. missam propr. necnon Officium.

Innocentius PP. XI. per universam Ecclesiam celebrari praecepit festum SSmi. Nom. B. V. M., quod festum jam ante ex indulto ap. nonnullis in locis cum Indulgentiis pro Missae solemni Interessentibus\*) die 17. Sept. celebrabatur cum Officio et Missa propriis. Ad dubia exinde exorta S. C. resp.:

1. Cessare debet in dictis locis tam Officium quam festum SSmi. Nom. M. jam ante a sede ap. approbatum, ita ut idem festum die 17. Sept. in dicto

\*) Clem. X. die 7. Oct. 1671 largitus est indulg. plen. omnibus Christifidelibus, qui missae de Nomine B. V. M. die 17. Sept. celebr. in Ecclesiis Provinciarum et Regnorum Regis Hispan. interfuerint. (Bullar. mag. tom. VI. p. 367 ed. Luxemb. 1727).

Officio et Missa propriis non possit amplius celebrari.

2. Indulgentiae pariter cessant pro illo die et pro translatione supplicandum est Sanctissimum.

3. Dictum Officium et Missa de Nom. B. V. M. pro dictis locis aut Ordinibus Regularibus non possunt amplius reimprimi ac illi posthac non possunt iisdem uti. n. 3054 ad 1—3 die 17. Junii 1684.

Officium Nominis B. V. M. recitandum esse in ipsa die dominica occurrente in octava Nativ. B. V. M. absque comm. octavae. n. 3098 ad 1 die 24. Novb. 1685; n. 3399 die 1. Sept. 1696.

Qualis a Capuccinis observari debeat duorum decretorum, 24. scilicet Novembris 1685., et 22. Januarii 1707, a S. R. C. emanatorum circa celebrationem Festi et Officii SS. Nominis Mariae, quando die pro tali Festo et Officio assignata ab eadem S. R. C. occurrit dies octava alicujus Sancti?

Et S. eadem R. C. ad relationem Emi. et Rmi. D. Card. S. Clementis respondendum censuit sub die 10. Junii 1710:

„Servandum Decretum generale, juxta votum“.

Ad dubium: Cum Off. SS. Nominis B. V. M. sub ritu dupl. maj. \*) celebrandum sit dom. infra Oct. Nativ. ejusdem B. V. M., in quam dominicam fere singulis annis incidit in Dioecesi Curien. dies octava SS. Angel. Cust. sub ritu dupl. min., utrum liceat transferre festum SS. Nom. B. V. M. in primam diem non impedit. et in dominica praefata celebrare Off. de die octava ss. Angel.? S. C. resp.: Affir-

\*) Decr. S. R. C. n. 4049 ad 5 die 23. Junii 1736; n. 4056 ad 5 die 16. Febr. 1737.

mative. n. 3565 ad 3 die 19. Junii 1700.

Ad dubium *Benedictin. Einsid.*: An festum ss. Nom. B. V. M. celebrandum sit dominica infra octavam Nativit. vel in ipsa die octava? S. C. resp.: Affirmative ad utrumque et ex praecepto et quando ipsa dies octava Nativitatis incidat in dominicam, nulla fiat commemoratio octavae. n. 4044 (2do) ad 18 die 23. Julii 1736.

Celebrandum esse festum ss. Nom. B. V. M. in die dominico infra octavam Nativitatis ejusdem B. V. M. n. 4284 die 29. Mart. 1760.

Ad dubium: Num Dominica III. vel IV. Sept. in Ecclesiis SSmi. Nominis B. M. V. dicatis, recitandum sit de die octava ejusdem Festi Titularis, et transferendum Festum VII Dolorum ejusdem Deiparae, quod Festum in concursu diei octavae transferendum declaravit S. R. C. die 19. Aug. 1817?

Et S. eadem C. . . . rescribendum censuit:

„Servandam esse regulam assignatam pro die octava Nativ. B. M. V. incidente in Dominicam, et in una Urbis diei 15. Sept. 1685“.

Atque ita rescripsit servarique praecepit recensita in Ordine Discalceatorum. Die 12. Sept. 1840 n. 4900 ad 2.

Clerus Saec. et Reg. Dioecetano Florentino Calendario utens gaudet privilegio recitandi Officium Concept. B. M. V. in omnibus Sabb. per Annum, etiam in Quadragesima; Quaeritur: an Clerici Reg. Scholarum Piarum in Dioecesi Florentina degentes et habentes privilegium recitandi Officium SSmi. Nom. Mariae semel in hebdomada, exclusa Quadragesima, possint potius recitare Officium SSmi. Nom. Mariae in die Sabbati etiam in Quadragesima et Adventu?

Et S. ipsa C. . . . respondendum censuit: